

**<Lib. II, Art. 2: Utrum immensa divinitatis omnipotentia possit quodlibet accidens absolvere a qualibet dependentia subiectiva>**

1. Secundus articulus erat iste: utrum immensa divinitatis omnipotentia possit quodlibet accidens absolvere a qualibet dependentia subiectiva. Pro cuius articuli declaratione primo investigabitur condicio et quiditas totius ambitus accidentis; et consequenter dicetur breviter de quaesito. 5

**<Art. 1: Condicio et quiditas totius ambitus accidentis.**  
**Opinio 1>**

10

2. Quantum ad primum sciendum est quod circa conceptum accidentis triplex fuit positio loquentium de accidente. Prima ponebat quod realiter in rerum natura quidquid erat, erat substantia secundum suam realitatem, ita quod accidens realiter loquendo nihil erat. Ista autem positio videtur fuisse Parmenidis et Melissi ponentium omnia unum esse, non utique numero sive specie specialissima, sed genere generalissimo, quam plures moderni voluerunt probabiliter sustinere, quae licet posset sine contradictione defendi, tamen non videtur quod possit theologice sustineri. Primo, quia fides profitetur in sacramento Eucharistiae accidens existere sine subiecto, et per consequens<sup>1</sup> ibi est 15  
C 167vb realiter aliquod accidens ex natura rei. – Secundo, quia fides ponit in parvulis suscipientibus sacramentum Baptismi virtutes theologicas infundi quae non sunt substantiae sed accidentia ipsam animam parvuli redditia deiformem; quare propositum. – Tertio, quia in adultis cogimur ponere post poenitentiam caritatem creatam infundi 20  
virtute Poenitentiae sacramenti quae non ponitur substantia sed vera qualitas. – Quarto, quia in Christo et in omnibus beatis creaturis cogimur ponere beatitudinem formalem quae consistit in duobus actibus, scilicet visionis et fruitionis qui actus non ponuntur substantiae sed verae qualitates. – Quinto, quia in corporibus gloriosis 25  
ponimus dotes quae non possunt intelligi per modum substantiae sed potius per modum accidentis, et sic arguitur quod haec positio non potest theologice sustineri. 30

3. Ulterius ista positio negaret omnem experientiam circa qualitates activas et passivas, ut docet experientia de calido et frigido. 35  
Et sic consequenter haberet dicere quod sine acquisitione

---

**212,4** Secundus] Certain words and phrases have been rendered illegible because of scratches in the microfilm from which the digitized images were made; the illegible words have been marked by 3 dots: ... Etz

cuiuscumque qualitatis homo fieret calidus et frigidus, et similiter logicus et geometra, quae omnia videntur absurdia, quare et ipsa positio.

- 40       **4.** Istam opinionem audivi quemdam baccularium in Oxonia sustinere qui pro ipsa opinione nullam penitus rationem habebat, sed solummodo rationibus respondebat. Et ideo cum nec per se rationes habeat sed potius sibi adversantur Ecclesiae auctoritas ratio probabilis et quotidiana experientia nullatenus est a theologo sustinenda, sed ut  
45       vana et stolida potius relinquenda.

**<Opinio 2>**

- 5       **5.** Secunda opinio est huic totaliter contraria et extrema quae ponit quod cuilibet praedicamento sub ambitu accidentis correspondet ex natura rei res aliqua positiva a re alterius praedicamenti realiter 50 codistincta. Unde ista positio imaginatur conceptum accidentis sui divisione primaria dividere in conceptum absolutum et respectivum, et ulterius absolutum dividere in quantitatem et qualitatem quae, secundum eos, sunt accidentia absoluta; sed respectivum dividunt in 7 praedicamenta. Unde si respectus sit intrinsecus adveniens, sic dicunt 55 quod est relatio. Si vero extrinsecus, sic sunt 6 genera respectiva, ut actio, passio, quando, ubi, situs, habitus. Et istius opinionis videtur fuisse Doctor Subtilis et multi antiqui doctoris.

**<Opinio 3>**

- 6       **6.** Tertia vero opinio ponit quod sub habitu accidentis nihil 60 realiter a qualitate distinctum continetur, sed quodlibet accidens est vera qualitas. Et ex hoc dividunt conceptum entis in substantiam et qualitatem, et sic apud eos praedicamenta non essent nisi conceptus varii duo rerum genera diversimode exprimentia intellectui talium rerum multimodas passiones manifestando. Et istius opinionis fuerunt 65 dominus Petrus Aureoli, frater Guillielmus Ochan et plurimum modernorum doctorum.

- 7       **7.** Et quia haec<sup>212,37</sup> opinio videtur modernis placibilior, ideo ipsam decrevi(?) meo modulo radicare. Cuius probationes erunt impugnaciones contra secundam opinionem ad quas intendo 70 respondere ad consolationem volentium vias veteres imitari, cuius modum etiam sub compendio declarabo.

- 8       Praemitto igitur quasdam distinctiones necessarias pro intellectu sequentium conclusionum. Quarum prima sit ista quod nomine accidentis quandoque intellectus concipit rem per modum 75 absolutum, quandoque per modum respectivum. Verbi gratia, ut cum quis concipit Sortem album, et similiter cum quis ipsum concipit

C 168ra

---

<sup>212,37</sup> cuiuscumque] facultatis *add. sed del. C*   **56** actio] quando *add. sed del. C*

patrem vel similem, et hoc est de quo dicitur apud antiquos quod accidentium quoddam est absolutum, ut quantitas et qualitas, et quoddam respectivum, ut relatio et alia sex genera.

**9.** Secunda distinctio est iuxta mentem antiquorum quod 80 accidentium quaedam sunt permanentia et quaedam successiva; de primis ut albedo, caliditas et sic de aliis; de secundis ut tempus, motus et oratio.

**10.** Tertia distinctio est quod accidentium in genere relationis, quaedam sunt modo numeri, ut duplum et dimidium; quaedam modo 85 potentiae ut pater et filius; et quaedam modo mensurae, ut scientia, scibile.

**<Conclusio 1>**

**11.** His igitur distinctionibus praemissis, octo pono conclusiones opinionem tertiam plenarie continentis. Quarum prima 90 sit ista: nulla realitatis positiva condicio potest existere quovis modo entitas quae sit accidens successivum. Haec conclusio satis appetet per Ockan in suo tractatu *De successivis*, quae tamen ratione in ista materia meo iudicio difficiliori sic probatur. Si tale accidens esset: vel est res per se subsistens, vel alteri inhaerens. Non primo modo, quia tunc dato quod Deus quocumque aliud ens creatum ab isto destrueret, non minus hoc esset subsistens. Sed hoc implicat contradictionem motum esse et nihil moveri, similiter tempus esse et nihil moveri, cum tempus sit numerus motus secundum prius et posterius, ut patet per Philosophum, IV *Physicorum*. Ergo videtur quod contradictionem 100 implicat successiva intelligi per modum subsistentis. Si ergo sit inhaerens, quaeritur de ipsius subiecto adaequato. Non potest dici ipsum mobile, nec spatium, nec ipsa simul, et omnia alia sunt ad hoc impertinentia; ergo propositum. Consequentia patet. Assumptum appetet, quia quidquid est in ipso mobili est permanens et similiter in spatio. Ergo videtur quod tale successivum non est in re aliqua per modum inhaerentis, et per consequens cum ex parte rei non possit intelligi nec per modum inhaerentis, nec per modum subsistentis, sequitur quod nihil tale est in re nisi quaedam negotiatio intellectus; quare propositum. 105

C 168rb **12.** Praeterea, facio unam mihi rationem familiarem. Ratio aeternitatis est illa cui maxime competit ratio entis sive ratio existendi.

---

**93** Ockan] Cf. P. BOEHNER, *The Tractatus de successivis Attributed to William Ockham* (St. Bonaventure U.-FIP Philos. Series 1, 1944). **100** Philosophum] ARIST., *Physica*, IV, c. 11 (AL VII-1, 175; Δ, c. 11; 219b 1-2): Hoc enim est tempus: numerus motus secundum prius et posterius; cf. *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 151: Tempus est numerus motus secundum prius et posterius.

Tunc arguo sic: aeternitas et successio sunt formaliter opposita, cum ipsa aeternitas sit formaliter quaedam simultas. Nam iuxta Boethium:  
 115 “Aeternitas est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.” Ergo quanto magis quis recedit a ratione aeternitatis, tanto magis plus accedit ad non-esse. Ergo quod simpliciter recedit a ratione aeternitatis, illud formaliter nihil est. Sed si aliquid sit successivum quod nullo modo permanens simpliciter recedit a ratione aeternitatis;  
 120 ergo tale formaliter nihil est. Cum igitur successivum, ut praescindit rationem permanentiae sit simpliciter recedens a ratione aeternitatis, sequitur propositum.

**<Conclusio 2>**

13. Secunda conclusio est haec: nulla quantitatis continua vel  
 125 discreta condicio potest existere accidentis a substantia et qualitate realiter separatum. Haec conclusio sic probatur de continua quantitate, cuius species ponuntur linea, superficies et corpus, et similiter tempus et locus. Quandocumque ab esse unius sequitur esse alterius et non e contra, vel illa se habent secundum superius et inferius, vel unum est  
 130 pars alterius, vel ab ipso necessario dependens. Ut, verbi gratia, si sequitur ‘*a* est, ergo *b* est’ et non e contra, oportet vel quod *b* sit superius ad *a*, vel pars *a*, vel necessario requisitum ad hoc quod *a* sit. Unde sequitur ‘homo est, ergo animal est’ et non e contra, ideo animal est superius ad hominem; similiter sequitur ‘homo est, ergo anima  
 135 intellectiva est’. Et ideo appetat quod cum non sint per modum superioris nec per modum conservantis, ideo dicitur quod est per modum partis. Similiter sequitur ‘homo est, ergo Deus est’. Et ideo cum ibi non sit per modum superioris nec partis, ideo datur tertius modus, videlicet per modum conservantis. Et ita appetat universaliter  
 140 illud assumptum verum. Nunc autem sequitur ‘quantitas continua est, ergo substantia corporea, vel qualitas est’. Ergo vel istud distinctum se habet ratione significati per modum partis, vel per modum superioris, vel per modum conservantis. Primo et tertio modis non potest dici,  
 145 ergo secundo modo, et ita habetur propositum quod omnis quantitas est substantia vel qualitas. Et consequentia illa probatur, nam si non valet, stet oppositum consequentis cum antecedente. Et tunc stant ista simul quod nulla substantia corporea est nec aliqua qualitas, et tamen quantitas est, et per consequens quantitas est ita res absoluta sicut et substantia. Et ita startet ipsam destrui, aliis conservatis, quod si fieret,  
 150 sequitur quod quaelibet res alia a quantitate esset indivisibilis, ergo

---

127 species] et corpus *add. sed del. C*

114 Boethium] BOETHII, *De consol. philos.*, V, pros.6, n. 4 (CCL 94, ???; PL 64, ???); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 293, verbatim.

nunc de facto nulla est res divisibilis nisi quantitas, et ita arguitur quod substantia corporea esset indivisibilis, quod videtur falsum et impossibile.

**14.** Sed forsitan hic DICITUR quod substantia corporea includit rationem quantitatis, et ideo[178] ista impossibilitas non oritur ratione substantiae sed ratione quantitatis inclusae, CONTRA: constat quod conceptus praedicamentales sunt primo diversi; ergo unus non cadit sub modo significandi alterius; sed substantia et quantitas sunt diversi conceptus praedicamentales; ergo ratio substantiae non dividitur in rationem quantitativam. Cum igitur ratio substantiae dividatur in corpoream et incorpoream, sequitur quod ratio substantiae corporeae est conceptus simplex nihil alterius praedicamenti formaliter includens, et per consequens cum ipsa sit ex se divisibilis, habetur intentum.

**15.** Praeterea, probatur conclusio de quantitate discreta, quoniam si numerus esset distinctus a rebus numeratis, sequitur quod ad positionem unius rei poneretur rerum infinitas, quod videtur absurdum. Et consequentia probatur, nam ad rationem unius substantiae ponitur unitas quae est principium quantitatis discretae, et illa est res distincta ab illa re una; ergo ibi sunt duae res, et per consequens ibi est dualitas; sed illa est res distincta ab illis duabus rebus; ergo ibi est trinitas et sic in infinitum, quod est manifeste impossibile.

### <Conclusio 3>

**16.** Tertia conclusio est haec: nullus conceptus de secunda vel quarta specie qualitatis significat rem distinctam a substantia vel qualitatibus in prima et tertia specie situatis. Ista conclusio declaratur, nam ut patet per Philosophum in *Praedicamentis*, quatuor sunt species qualitatis, videlicet habitus et dispositio naturalis, potentia vel impotentia, passio et passibilis qualitas, forma et circa aliquid constans figura. Vult ergo conclusio quod signata pure figuram vel naturalem potentiam sunt substantiae vel qualitates quae sunt dispositiones vel habitus vel passiones seu passibiles qualitates. Unde figura substantiae nihil aliud est quam ipsa substantia. Et similiter figura albedinis nil aliud est quam ipsa albedo. Ista conclusio sic

175

180

185

---

**178** Philosophum] ARIST., *Categ.*, c. 8 (AL I-1, 23-27; c. 8; 8b 27-28 & 9a 15-16 & 9a 28-29 & 10a 11-12): Et una quidem species qualitatis habitus affectioque dicantur...Aliud vero genus qualitatis est secundum quod pugillatores vel cursores vel salubres vel insalubres dicimus, et simpliciter quaecumque secundum potentiam naturalem vel impotentiam dicuntur...Tertium vero genus qualitatis est passibiles qualitates et passiones... Quartum vero genus qualitatis est forma et circa aliquid constans figura.

intellecta probatur, nam, ut prius deductum est, quam necessario sequitur ad aliud, vel est pars illius, vel suum superius, vel ipsum conservans. Nunc autem sequitur ‘substantia vel qualitas est, ergo figura est’. Et constat quod figura non se habebit per modum partis  
 190 nec conservantis; ergo propositum.

**17.** Si DICATUR quod se habet per modum accidentis, CONTRA: quodlibet prius potest esse sine contradictione sine suo posteriori, et per consequens talis substantia, puta homo, posset esse et non esse figuratus, quod manifeste claudit repugnantiam; quare propositum.

**18.** Praeterea, probatur conclusio de secunda specie qualitatis. Nam signo in Sorte potentiam dimicandi seu pugillandi. Et quaero: unde provenit quod Sortes in iuventute potest bene dimicare et non in senectute? Si propter deperditionem alicuius accidentis praecise, ergo adhuc ita Sortes esset in senectute potens substantialiter sicut in iuventute, quod non videtur verum, ut appareat in effectibus tam nutritivae quam generativae et similiter augmentativae, quae sunt tres partes vegetativae, et similiter appareat in effectibus potentiae sensitivae ut in visu, auditu, et similiter appareat in effectu potentiae motivae. Ergo videtur quod ibi est potius deperditio multarum partium substantialium ex quibus consurgebat debita proportio per quam poterat Sortes actus huiusmodi exercere. Et ita appareat quod talis potentia duo dicit, videlicet membrorum debitam fortitudinem et dispositionem sive habitum per exercitium acquisitum sicut appareat etiam in citharoedis, cantoribus et aliis exercentibus similia facta;  
 205 quare propositum.

C 168vb

#### <Conclusio 4>

**19.** Quarta conclusio est haec: nulla relatio modo numeri est a rebus relatis ad invicem realiter condistincta. Ista conclusio apparent, nam data conclusionis contradictionia, sequitur quod nunc in rerum natura est rerum actualis infinitas, immo Deus non posset unum lapidem producere quin esset rerum actualis infinitas, quod tamen absurdum videtur. Et consequentia probatur, quoniam si aliquod continuum est illud, est duplum ad suam medietatem. Si ergo huiusmodi proportio sit res distincta a talibus proportionatis, sequitur quod infinitae proportiones actualiter existunt, quia alterius medietatis ad suam medietatem et sic in infinitum, quod videtur absurdum.

**20.** Praeterea, Sortes et Plato dicuntur idem specie. Si ergo tales identitates sint relationes distinctae a Sorte et Platone, tunc cum illae identitates sint idem, sequitur quod adhuc est identitas identitatum et sic proceditur in infinitum, quod videtur absurdum; quare conclusio vera.

#### <Conclusio 5>

**21.** Quinta conclusio: nulla relatio modo potentiae dicit formaliter ultra fundamentum et terminum aliquid formaliter positivum. Ista conclusio sic probatur: capio paternitatem et filiationem quae dicuntur relationes modo potentiae quae fundatur super agere et pati. Et quaero: numquid paternitas sit res relativa distincta a patre vel non? Si non, habetur propositum. Si sic, contra: nihil citra Deum est in rerum natura ponendum cuius nulla est causa productiva; sed data ista responsione sic est de ipsa paternitate; ergo 230 propositum. Consequentia patet. Probo minorem, nam quaero a quo immediate paternitas producitur, aut a patre, aut ab effectu, aut ab actione? Non primo modo propter tria. Primum, quia tunc relatio esset per se terminus productionis, et sic ad relationem esset motus, quod est contra Philosophum, V *Physicorum*. Tum secundo,, quia relatio posset acquiri sine cuiuscumque absoluti acquisitione, quod videtur absurdum. Tum tertio, quia agens semper in se produceret multas realitates, quod non videtur verum. Nec potest dari secundum principale, quia sic Filius imprimeret in Patre paternitatem, quod videtur falsum. Nec tertium, quia actio non attingit aliquid active in agente sed potius in passo. Nec potest dici quod producat se ipsam, quia ex I *De Trinitate* “nulla res est quae se ipsam gignat ut sit.” Nec valet fingere quod Deus semper in talibus actionibus producit huiusmodi relationes. Istud enim est mere voluntarium, et per consequens non videtur quod talis relatio sit aliquid reale praeter 245 negotiationem intellectus; quare propositum. 250

C 169ra

**22.** Praeterea, omnis relatio de secundo modo fundatur supra producere et produci. Si ergo in nobiliori agente nulla potest fundari realis relatio, sequitur quod nec in aliquo alio citra primum; sed constat quod in actione Dei ad extra, nulla fundatur realis relatio ad creaturam; ergo propositum. Consequentia patet. Et minor ex hoc, quoniam si Dei ad creaturam esset relatio realis, vel illa esset aeterna vel temporalis. Non aeterna, quia tunc creatura aeternaliter fuisse, cum relatio realis exigat in actu extrema realia. Nec temporalis, quia tunc aliquid reale Deus in se noviter acquireret, quod falsum est; quare 260 propositum. 255

**23.** Et confirmatur, nam nullum positivum dependet in esse actualiter a non-ente; sed ratio paternitatis dependet ab eisesse seu aliquid produxisse; ergo propositum. Et ita apparent quod minus est

---

**240** Philosophum] Cf. ARIST., *Physica*, V, c. 1 (AL VII-1, 196; E, c. 1; 225b 8-9): Necessitatem esse motus, quantitatisque et qualitatis et secundum locum; eiusdem *Physica*, V, c. 2 (AL VII-1, 198; 226a 25-26): Relinquitur secundum quale et quantum et ubi motum esse solum.   **247** De Trinitate] AUGUST., *De Trin.*, I, c. 1, n. 1 (CCL 50, 28; PL 42, 820).

265 ponenda relatio realis in actione creaturae quam in actione Dei, quoniam talis relatio in creaturis dependeret ab actione transeunte, et non sic in Deo; quare propositum.

**<Conclusio 6>**

270 **24.** Sexta conclusio est haec: nulla relatio modo mensurae est accidentis positiva condicio a substantia et qualitate realiter condivisa. Ista conclusio sic probatur: nulla ratio positiva ad sui existentiam requiritur aliquid non-existentis; sed scientia est respectu scibilis non-existentis; ergo si sit aliqua relatio fundata in scientia respectu scibilis, ita quod scientia sit talis relationis fundamentum et scibile terminus, sequitur quod talis relatio requirit tale non-existentis, videlicet scibile, et per consequens non est ratio positiva.

275 **25.** Et confirmatur: omnis relatio dependet a fundamento et termino; si ergo terminus relationis fundatae super scientia sit scibile non-existentis, sequitur quod dependet a tali non-existente, quod videtur absurdum. Et per consequens relatio talis non potest poni nisi in apprehensione intellectus negotiantis huiusmodi comparationes; quare propositum.

280 **26.** Praeterea, nihil potest esse in rerum natura sine eo quod est de sua ratione formalis; sed tam fundamentum quam terminus sunt de ratione formalis relationis; ergo non potest poni in rerum natura relatio quin ponatur fundamentum et terminus. Consequens videtur falsum in relativis tertio modo, ubi terminus non est aliquid realiter existens; et apparel ex communi dicto quod entis ad non-ens non potest esse relatio realis.

285 **27.** Et confirmatur, nam si Deus destrueret omnem aliam rem creatam ab intellectu angelico, conservando in ipso conceptus<sup>c</sup> rerum, adhuc angelus haberet notitiam et scientiam de his quae prius habebat, et tamen sine ipsorum existentia actuali; ergo propositum. Et apparel manifeste de Deo qui aeternaliter habuit scientiam omnium absque huiusmodi relationibus fundatis in sua scientia ad scibilia exteriora. Non igitur videtur quod tales relationes sint nisi ex opere intellectus.

C 169rb

**<Conclusio 7>**

290 **28.** Septima conclusio quod rationi relationis, ut intelligitur sub ambitu accidentis, repugnat generaliter entis condicio positiva. Et intelligitur conclusio formaliter praescindendo relationem a fundamento et termino. Ista conclusio sic probatur: illud non est nisi intellectus operatio quod acquiritur in aliquo nullo agente ipsum attingente; sed albo noviter Parisius generato acquiritur similitudo in albo existente in Ierusalem; ergo cum tale agens non possit habere per

---

<sup>284</sup> sua ratione] inv. sed corr. signis transp. C | ratione] formalis add. sed del. C

huiusmodi distantiam propter sui limitationem, sequitur quod si 305 intellectus capit similitudinem in albo manente in Ierusalem, hoc non est nisi propter sui negationem. Et probatur quod agens non potest attingere illud per actionem suam, quoniam si per imaginationem infinite distaret, non minus tale esset simile. Si ergo tale agens attingeret talem similitudinem per modum agentis, sequitur quod 310 ageret per distantiam infinitam, quod videtur absurdum, cum sit agens certis limitibus circumscripsum. Nam actio per certam distantiam arguit in agente certam perfectionem, et actio per duplam distantiam duplam perfectionem, et sic in infinitum; quare propositum.

**29.** Praeterea, cuicumque repugnat in se existere, eidem 315 repugnat fore in rerum natura; sed relationi, generaliter sumptae prout continetur sub ambitu accidentis, repugnat in se existere; ergo propositum. Consequentia patet. Et maior ex hoc, quoniam ratio entis est formaliter absoluta, ergo nullo modo potest formaliter competere alicui cui repugnat ratio absoluta; sed cuicumque repugnat in se 320 existere, eidem repugnat ratio absoluta, ergo et ratio entis; et per consequens propositum. Et minor apparet, quoniam relatio consistit formaliter ad aliud, et per consequens cum sit formaliter quaedam comparatio, non videtur quod sit nisi operatio intellectus. Unde capiamus istas duas rationes: ens et relatio. Constat quod una ratio est 325 formaliter ratio ad se, et altera ad aliud. Si ergo ratio relationis includeret formaliter rationem entis, sequeretur quod esse composita ex absoluto et relativo. Et tunc praescindendo unam rationem ab alia, redditur prima difficultas quod relatio, ut sic, non est aliquid in rerum natura; quare propositum, et hoc argumentum satis manuductum. 330

<.Conclusio 8>

**30.** Octava conclusio et finalis est haec: realitas sumpta communiter in prima et tertia specie qualitatis commensurat aequaliter totum ambitum accidentis. Volo dicere quod omne accidens, cui C 169va potest correspondere esse existere, vel est in prima specie, vel in tertia 335 qualitate. Ista conclusio quasi sequitur ex praemissis. Quae potest sic declarari: aliquod accidens est, vel ergo absolutum vel respectivum, permanens vel successivum. Non successivum ut vult prima conclusio; nec respectivum ut vult septima. Si ergo absolutum: vel 340 quantitas vel qualitas. Non quantitas ut vult secunda conclusio, ergo qualitas. Vel ergo de prima, secunda, tertia vel quarta specie qualitatis. Non in secunda et quarta ut vult tertia conclusio; ergo per sufficientem

---

**320** cui] formaliter *add. sed del. C*

---

**338** prima conclusio] Cf. supra n. 11-12.    **339** vult septima] Cf. supra n. 28-29.    **340** secunda conclusio] Cf. supra n. 13-15.    **342** tertia conclusio] Cf. supra n. 16-18.

divisionem in prima et tertia, quod est propositum. Et primum antecedens appareat per ea quae declarata sunt arguendo contra primam opinionem omnem accidens penitus destruentem; quare etc.

345 **31.** Praeterea, quaelibet ratio quae potest realiter alicui inesse et non inesse sine sui corruptione, est passio vel passibilis qualitas, habitus vel dispositio; sed quodlibet accidens reale est ratio quae potest alicui inesse et non inesse sine illius corruptione; ergo quodlibet 350 accidens reale est passio vel passibilis qualitas, habitus vel dispositio; et per consequens conclusio vera. Consequentia patet et minor similiter. Et maior, quoniam omne quod advenit alicui naturae spirituali est habitus vel actus seu dispositio, quae sunt qualitates in prima specie. Quae vero accidentunt naturis corporalibus sunt passio vel 355 passibilis qualitas ut experientia docet de coloribus, caloribus et ceteris similibus; quare propositum.

360 **32.** Et ex ista positione sequitur manifeste quod quaelibet res existens in rerum natura est formaliter absoluta. Et ita consequenter sequitur pars affirmativa articuli quod deitatis omnipotentia potest 365 quodlibet accidens absolvere a quacumque dependentia subiectiva. Quae conclusio unica ratione sic deducitur: si accidens non posset esse sine subiecto, quaero unde oritur ista impossibilitas? Aut propter dependentiam quam habet ad suum subiectum, aut quia suum subiectum includitur in sua ratione formali. Secundum non potest dari, 370 cum probatum sit quod nullum tale accidens potest existere in rerum natura. Nec primum obstat, quia talis dependentia aut est in genere causae materialis, aut formalis, aut efficientis seu conservantis, vel finalis. Primum non obstat in proposito nec secundum, quia accidens non est quid compositum ex materia et forma quibus indigeat 375 tamquam partibus essentialiter requisitis. Nec tertium et quartum, quia Deus potest supplere causalitatem huiusmodi, secundum communem opinionem doctorum. Et per consequens appetit quid dicendum est ad praesentem articulum secundum istam viam quod ipsius affirmativa portio est tenenda.

375 **33.** Pro opinione antiquorum doctorum quid sentiunt de praefacto articulo, qualiter videlicet Dei omnipotentia possit absolvere quodlibet accidens a qualibet dependentia subiectiva, pono aliquas conclusiones, et consequenter respondebo ad rationes factas pro alterius opinionis confirmatione<sup>1</sup> et istius destructione. Et demum 380 dabitur modus imaginandi istius opinionis principium radicale.

C 169vb

## &lt;Conclusio 1&gt;

---

**354** passio] vel passio *add. sed del. C*

---

**344** contra primam] Cf. supra n. 11.

**34.** Sit igitur ista prima conclusio: licet sit possibile in rerum natura aliquid accidens existere successivum, tamen contradictionem implicat huiusmodi successivum existere sine praesentia existentiae permanentis. Ista conclusio quoad primam partem sic probatur: 385 quandocumque ad verificationem alicuius propositionis non sufficiunt duae res, oportet ponere tertiam. Et si ad verificationem talis non sufficiunt tres res, oportet ponere quartam quia, secundum Philosophum: “ab eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa.” Sed ad iustificationem istius propositionis Sortes movetur non 390 sufficit Sortis existentia nec spatii cum hoc nec quocumque aliud permanens, quia omnibus illis existentibus stat Sortem quiescere. Ergo ad hoc quod talis propositio verificetur, oportet imaginari aliquam entitatem quae non est permanens, et per consequens aliquod successivum. Cum igitur, ut experientia docet, sit continuus motus, ut 395 patet in corpore caelesti et in nobis, quoniam ex II *Physicorum*, “natura est principium motus et quietis;” ergo de facto in rerum natura est aliquod successivum. Et cum illud non sit substantia, ut experimur in nobis, cum “adest vel abest praeter subiecti corruptionem,” nam in cessatione motus non corrumpitur in nobis materia vel forma, sequitur 400 quod est accidens successivum. Et sic patet veritas primae partis.

**35.** Secunda pars conclusionis probatur, quoniam sequitur ‘successivum est, ergo successio est’; et sequitur ‘successio est, ergo duratio est’; et sequitur ‘duratio est, ergo aliquod permanens est’. Consequentiae primae patent. Et ultimae probantur, quoniam si 405 duratio est, vel ergo est durationis duratio, vel permanentis. Non primo modo quia sic est processus in infinitum; et per consequens secundo modo.

---

**386** alicuius propositionis] Haec regula aliquando attribuitur GUALTERO CHATTON; cf. GUALTERI CHATTON, *Lectura in I Sent.*, d. 3, q. 1, ed. J. C. WEY-G. ETZKORN (Toronto, Pontifical Institute Publications 2008, p. 3): “Quod si non sit nata verificari pro eis sic se habentibus, igitur oportet aliud ponere in re ad hoc quod ipsa sit vera, quia ‘in eo quod res est vel non est, est oratio vera vel falsa’;” cf. R. KEELE, *Formal Ontology in the Fourteenth Century: The Chatton principle and Ockham's Razor*, PhD Dissertation, Indiana Univ.-Bloomington, IND. 2002. **389** Philosophum] ARIST., *Categ.*, c. 5 (AL I-1, 13; 4b 9-10): Eo enim quo res est vel non est, eo oratio vel vera vel falsa dicitur; *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 303: Ab eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa. **396** Physicorum] ARIST., *Physica*, II, c. 1 (AL VII-1, 43; β, c. 1; 192b 21-22); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 144: Natura est principium et causa motus et quietis in quo est primo et per se et non per accidens. **399** adest...corruptionem] PORPHYRII, *Isagoge*, c. ‘De accidente’ (AL I-6, 20): Accidens vero est quod adest et abest praeter subiecti corruptionem; *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 301: Accidens est quod adesst, vel abest, praeter subiecti corruptionem.

410     **36.** Et confirmatur nam non potest aliquod fluxivum imaginari nisi sit aliquid in quo figatur; et per consequens nec aliquod successivum potest imaginari nisi sit aliquid permanens. Et ita appetit quod contradictionem implicat successivum existere absque praesentia permanentis; quare propositum.

**<Conclusio 2>**

415     **37.** Secunda conclusio est haec: licet quamlibet quantitatem continuam non praesupponentem aliam sit possibile absolvit a qualibet subiectiva dependentia, tamen quantitatem discretam sine subiecto existere nullatenus permittit lex contradictoriae facultatis. Haec conclusio quoad primam partem sic probatur: iam de facto quantitas in 420 sacramento altaris est sine subiecto; ergo illa prima pars vera.

425     **38.** Sed forsan hic DICITUR quod illa quantitas est vera qualitas, utpote albedo vel sapor, CONTRA: signo nunc qualitates quae sunt in sacramento altaris, utpote albedinem, dulcedinem et gravitatem. Et arguo sic: stat eadem quantitatem hostiae permanere sine tanta intensione talium qualitatum, ut experimur, immo cum corruptione albedinis, dulcedinis et tantae gravitatis, ita quod hostia erit eiusdem quantitatis et tamen nigra et amare<sup>1</sup> et non tantum ponderans sicut prius. Et constat quod ibi non est substantia. Ergo huiusmodi mutationes factae sunt in quantitate et per consequens quantitas erat 430 res distincta ab ipsis qualitatibus; quare propositum.

C 170ra

435     **39.** Et secunda pars istius conclusionis probatur sic: sequitur numerus est, ergo dualitas vel trinitas est vel sic de singulis. Et sequitur dualitas est vel trinitas, ergo duo vel tria sunt; et per consequens numerata sunt, et ita si numerus est, numeratum est. Quare contradictionem implicat oppositum consequentis stare cum antecedente, videlicet quod numerus sit et nullum numeratum sit; et ita per consequens sequitur veritas conclusionis.

440     **40.** Unde pro intellectu primae partis conclusionis est advertendum quod in quantitate continua est ordo essentialis, videlicet quod una praesupponit aliam et non e contra. Ut, verbi gratia, corpus praesupponit superficiem et non e contra, similiter superficies praesupponit lineam et non e contra, et consequenter linea praesupponit punctum et non e contra. Et ideo posset Deus facere punctum sine linea et lineam sine superficie et superficiem sine corpore, cum hoc nulla videatur implicatio contradictionis, sed potius mirificat Dei omnipotentiam existere admirabilis maiestatis.

**<Conclusio 3>**

---

<sup>1</sup>412 praesentia permanentis] inv. sed corr. signis transp. C

**41.** Tertia conclusio est haec: licet relatio absque intellectus negatione sit entis accidentalis positiva condicio, ipsam tamen sine absoluta subsistentia est impossibile consistere quovis modo. Ista conclusio quoad primam partem probatur multipliciter. Et primo sic: quia quodlibet pertinens ad bonum universi est aliquid positivum; sed ordo est huiusmodi; ergo est aliquid positivum, et cum non sit ipsae res ordinatae, habetur propositum. Probatur minor, nam stat res huiusmodi esse sine tali ordine; quare propositum. Similiter obiectum sensus visus est aliquid reale et positivum; sed aliqua relatio est huiusmodi; ergo propositum. Minor patet de distantias quas sensus percipit quae non sunt ipsae res distantes cum ipsas stet esse absque hoc quod sint distantes; quare propositum.

**42.** Similiter efficiens delectationem est aliquid positivum; sed relatio est huiusmodi; ergo propositum. Minor apparet de proportione sonorum quae causat delectationem, quae si non esset, nulla delectatio causaretur.

**43.** Similiter apparet de toto respectu partium quod videtur addere aliquid positivum, ipsas videlicet uniones quae sunt formaliter relationes; quare propositum.

**44.** Breviter, omnes istae rationes fundantur super praetacta radice, videlicet quod quando duae res non sufficiunt ad verificationem alicuius propositionis, oportet addere tertiam. Ita est in proposito; quare prima pars huius conclusionis vera.

**45.** Et secunda pars probatur, quoniam impossibile est aliquid existere sine eo quod cadit vel praeexigitur in sua ratione formalis relationis; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Et minor apparet per definitionem ipsius relationis quae est ad aliud, ut dicit Philosophus in *Praedicamentis*: “ad aliquid sunt quaecumque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur;” quare propositum.

C 170rb **46.** Et apparet<sup>478</sup> aliunde: nam ‘si paternitas est, pater est’; et ‘si pater est, aliquid absolutum est’; quare propositum. Prima consequentia patet; et secunda per dictum beati Augustini satis vulgatum: “omne quod relative dicitur est aliquid excepto relativo;” quare propositum, et per consequens tota conclusio vera.

#### <Conclusio 4>

---

**478** aliquod] *scrip. pos.* est. *sed corr. signis transp.* C

---

**475** Philosophus] ARIST., *Categ.*, c. 7 (AL I-1, 18; c. 7; 6a 36-37): Ad aliquid vero talia dicuntur quaecumque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur. **479** Augustini] AUGUST., *De Trin.*, VII, c. 1 (CCL 50, ???; PL 42, 935): Omnis essentia quae relative dicitur est etiam aliquid excepto relativo.

**47.** Quarta conclusio est haec: licet quaelibet qualitas indivisibilis possit existere sine quocumque subiecto, nulla tamen qualitas partibilis extensive potest existere sine subiecto proximo et remoto. Ista conclusio quoad sui primam partem probatur sic: quaelibet qualitas a suo subiecto dependens tantummodo secundum rationem conservationis, potest sine tali subiecto a Deo conservari; sed quaelibet qualitas indivisibilis est huiusmodi ; ergo propositum. Consequentia patet. Et maior, quoniam conservare reductive se habet ad genus causae efficientis, et quamlibet talem causalitatem Deus potest supplere; ergo propositum. Et minor probatur, nam accidentia indivisibilia quae sunt qualitates, non sunt nisi intellectuali substantia subiective; sed ab ea non videntur dependere nisi conservative tantum, et hoc propter ipsorum efficientiam; quare propositum.

**48.** Et secunda pars conclusionis probatur, nam capta aliqua albedine: vel illa potest existere sine quantitate, vel non. Si non, habetur propositum. Si sic, ponatur inesse: vel ergo habet partem distantem a parte, vel non. Si non, ergo erat qualitas indivisibilis quod est contra naturam albedinis. Si sic, ergo non est sine quantitate, et non potest dici quod ipsa sit quantitas, ut prius deductum est; ergo est subiective in quantitate.

**49.** Et pro declaracione istius secundae partis huius conclusionis est advertendum pro imaginacione antiquorum doctorum habenda, quod qualitatis extensive divisibilis, utputa albedinis vel nigredinis est duplex subiectum: quoddam est proximum et quoddam remotum. Proximum est ipsa quantitas, sed remotum est ipsa substantia, et ita quantitas est medium inter substantiam et qualitatem. Vult ergo secunda pars huius conclusionis, quod licet qualitates corporeae possint esse sine subiecto remoto, non tamen sine subiecto proximo; unde impossibile est albedinem esse sine quantitate. Et sic appetit veritas totius conclusionis.

**50.** Ex qua sequitur correlarie quod unum accidens potest existere subiectum alterius accidentis, ut patet in quantitate et qualitate in sacramento altaris, ubi qualitas est subiective in quantitate; quare propositum.

### <Conclusio 5>

**51.** Quinta conclusio est haec: universaliter quodlibet ens absolutum potest per Dei omnipotentiam absolviri a qualibet substantiali dependentia subiectiva. Ista conclusio sic probatur: nam quodlibet accidens absolutum non dependet a substantia nisi effective et conservative, quia ex quo sunt absoluta, unum non coexigit aliud in

alio genere dependentiae quam faciant duae dependentiae substantiae totaliter incommunicantes. Et per consequens sicut duae substantiae non habent dependentiam nisi effectivam seu conservativam, ita quodlibet accidens absolutum non habet ad substantiam nisi dependentiam effectivam et conservativam, et quodlibet<sup>525</sup> tale Deus supplere potest; ergo propositum.

C 170va **52.** Et ex his quinque conclusionibus sequitur pars articuli negativa, videlicet quod immensa deitatis omnipotentia non potest quodlibet accidens absolvere a qualibet dependentia subiectiva. Hoc autem non provenit ex aliquo defectu ex parte divinae omnipotentiae, sed propter naturalem condicionem variam accidentis, ut declaratum est.

**53.** Imaginatio ergo antiquorum doctorum, quantum possum perpendere, in hoc consistit: accidens ab intellectu apprehensum, aut est absolutum, aut respectivum. Si absolutum: aut permanens aut successivum. Si successivum, necessario praesupponit aliquid fixum et permanens, et ideo Deus non potest facere tale accidens successivum sine subiecto, quia contradictionem implicat. Si vero sit permanens absolutum, aut est divisibile aut indivisibile. Si sit indivisibile, illud dependet a suo subiecto tantum conservative, et ideo quodlibet tale Deus potest facere sine subiecto. Et sic tam qualitates animae quam etiam ipsa puncta quantitates continuas terminantes possunt existere sine subiecto. Si vero tale accidens absolutum sit divisibile, aut est continuum, aut discretum. Si discretum, non potest existere sine subiecto quoniam praesupponit illa quae distinguit, et ideo numerus a Deo non potest fieri sine rebus numeratis. Si vero sit continuum divisibile: aut est divisibile primo et per se, aut per accidens. Si primo modo, sic potest esse sine subiecto, sicut quantitas. Si vero sit secundo modo, licet possit esse sine subiecto remoto, utpote sine substantiali subiecto, non tamen sine proximo, videlicet sine quantitate. Si autem tale accidens sit respectivum, universaliter ipsum impossibile est existere sine subiecto.

**54.** Unde ad videndum distinctionem respectivorum generum secundum antiquos, advertendum est respectum quidam sunt intrinsecus advenientes, id est positis extremis statim consurgit talis respectus. Nam positis duobus albis, mox consurgit inter ipsa similitudo. Quidam vero respectus sunt extrinsecus advenientes, id est positis extremis non statim consurgit talis respectus. Ut, verbi gratia, positis armis et homine non statim sequitur in homine armatum esse sive armatio, tamen armatio non posset esse sine armis et aliquo subiecto

---

533 naturale] iter. sed del. C

**55.** Primi respectus universaliter sunt de genere relationis qui  
 565 distinguuntur in tres modos, ut superius dictum est, videlicet in modum numeri, potentiae et mensurae. Secundi vero sunt aliorum generum constituti. Unde actio videtur quidam respectus cuius fundamentum est agens et terminus est ipsum passum; et e converso est de passione. Similiter ‘quando’ est quidam respectus subiective  
 570 existens in re temporali et terminative in tempore. Similiter ‘ubi’ est respectus cuius fundamentum est locatum et terminus est ipse locus. Positio vero sive situs est respectus cuius subiectum est locatum sive ubitatum, ut sic liceat fingere, et terminus est ipsum ubi. Habitus vero sive habitio est respectus cuius fundamentum est ipsum habituatum et  
 575 terminus est res habita. Et sic apparet generalis et confusa notitia habitudinum respectivarum de quibus hoc generaliter tenet antiquorum doctorum probata strenuitas quod nullatenus possunt existere sine subiecto; quare propositum.

C 170vb

**<Argumenta contra primam conclusionem>**

**56.** Ut igitur haec opinio videatur clarius, argumenta pro confirmatione alterius opinionis adducta huic opinioni adversantia sunt solvenda. Arguebatur primo contra fundamentum primae conclusionis istius opinionis duobus mediis. Et primo sic: quod non potest esse per modum inhaerentis vel permanentis, nihil tale est  
 580 successivum; ergo propositum. Probabatur minor per hoc quod non per modum permanentis potest intelligi, quia tunc quocumque alio destruncto maneret, quod mens non capit. Nec per modum inhaerentis, quia tunc quaerebatur de subiecto eius. Ut, verbi gratia, in motu non erat ipsum spatum, non ipsum mobile, quia quidquid in eis  
 585 intelligitur, totum est permanens; quare propositum.

**57.** Secundo arguebatur de aeternitate et successione quae sunt opposita. Et cum ratio aeternitatis erat summus gradus essendi, successio per consequens erat non-gradus essendi, et per consequens nihil successivum poterat realiter imaginari.

**<Responsio ad haec argumenta>**

**58.** Ad primum istorum dico quod successivum est accidens, et per consequens se habens per modum inhaerentis. Et cum dicitur quod in quo subiecto, dico breviter quod in mobili. Unde duo accidentia successiva in genere sunt motus et tempus. Immediatum autem  
 600 subiectum motus est ipsum mobile, immediatum vero subiectum temporis est ipse motus, sed remotum est ipsum mobile. Et quando dicitur quod non pro eo quod quidquid intelligitur in mobili est fixum

---

565 dictum est] Cf. supra n. 10. 596 Ad primum] Cf. supra n. 56.

et permanens, hoc ab ipsis negaretur dando instantiam in proposito de tempore et motu. Sed de hoc sequenti articulo aliquid forsan dicetur.

**59.** Ad secundum vero cum dicitur quod aeternitas et successio sunt opposita, concedo. Et cum dicitur quod ratio aeternitatis est summus essendi gradus, et per consequens successio non potest imaginari nisi sub non-gradu essendi, hic dico quod argumentum non plus concludit nisi quod ratio aeternitatis est non-gradus successionis et e contra et non aliud. Et ratio est, quia illae duae rationes ‘aeternitas’ et ‘successio’, licet sint oppositae, non tamen haec oppositio oritur ex ratione entis, sed ex rationibus propriis quas superaddunt rationi entis. Et ideo stat quod quodlibet ipsorum sit ens. Sicut in albedine et nigredine appetit quae, licet sic se habent quod summus gradus unius est non-gradus alterius et e contra, non tamen haec contrarietas provenit ex ratione entis, sed ratione proprietarum rationum. Unde si contrarietas proveniret formaliter ex ratione entis, alterum illorum esset formaliter non-ens; et sic ratio parum concludit.

C 171ra

**<Argumenta contra conclusionem secundam>**

**60.** Secundo arguebatur contra fundamentum conclusionis secundae, videlicet quod nulla erat quantitas continua vel discreta a substantia et qualitate distincta. Et primo arguebatur de continua sic in radice: nam sequitur ‘qualitas partibilis vel substantia corporea est, ergo quantitas’. Concedo consequentiam. Et cum quaeritur de medio intrinseco virtute cuius teneat illa consequentia, vel per hoc quod arguitur ab inferiori ad superiori, vel a toto ad suam partem, vel a dependente ad suum conservans, vel ab uno convertibili ad aliud, sed nullo trium modorum ultimo positorum, ergo propositum. Hic dico breviter quod divisio est insufficiens. Nam bene sequitur formaliter ‘homo est, ergo quantitas est’. Et tamen secundum istam viam quantitas non est superior ad hominem, nec pars hominis, nec conservans eo modo quo dicimus unum ens aliud conservare, nec est convertibilis cum homine ut appareat. Dico igitur pro materia argumenti quod duplex est coexigentia in rebus: quaedam est mutua, et quaedam alterius extremi tantum. Ut, verbi gratia, in terminis logicalibus inter convertibilia est coexigentia mutua, inter inferius et superior est coexigentia sed non mutua, licet sit a parte alterius extremi tantum; sic est in quibusdam rebus. Dico igitur quod inter substantiam corpoream et quantitatem est talis coexigentia quae est a parte substantiae corporeae. Et ideo illa consequentia tenet per modum exigentiae pro quo nomen non habemus.

---

**605** Ad secundum] Cf. supra n. 57. **620** conclusionis secundae] Cf. supra n. 13-16.

**61.** Et si DICATUR: unde provenit substantiae corporeae quod habeat illam coexigentiam sibi annexam? DICO breviter quod non potest alia ratio pro statu viae redi nisi quia hoc est hoc.

645     **62.** Et si DICATUR quod secundum hoc aliqua est substantia qua manente, Deus ab ipsa non posset quodlibet accidens separare. Istud secundum istam viam CONCEDENDUM est. Nam homo est talis substantia a quo, ipso manente, impossibile est quantitatem totaliter removere, quae tamen est accidens ut isti volunt.

650     **63.** Sed arguebatur ulterius de quantitate discreta quod si esset a rebus numeratis distincta quod Deus non posset producere unam rem quin infinitas produceret, nam si producit unum angelum, sequitur quod unitas eius est, sed ipsa non-angelus; ergo est ibi dualitas; sed dualitas non est illae duae res; ergo est trinitas. Et sic consequenter erit processus in infinitum quod videtur absurdum.

655     **64.** Hic dico pro materia argumenti: numeratum potest duobus modis provenire, quandoque secundum rem, quandoque secundum rationem seu intellectus negotiationem. Numeratum secundum rem dicitur quod per quantitatem discretam in re distinguitur et sic per ipsam res denominatur, quemadmodum ex albedine quid denominantur album. Numeratum vero secundum rationem provenit ex reflexione intellectus supra actus suos; sicut si intelligo Sortem, consequenter reflecto me ad intelligendum intellectionem Sortis et sic in infinitum. C 171rb

660     **65.** Dico igitur ad propositum applicando quod si Deus produceret unum angelum, non propter hoc poneretur in re rerum infinitas, si tantummodo res ultra illam quae denominaretur formaliter unitas quae unitas non potest proprie dici una sicut nec albedo dicitur alba. Nam “unitas,” ut dicit Boethius in suo libello *De unitate*, “est qua unaquaeque res una dicitur.” Sic igitur ibi quoad rem, non esset nisi angeli et sua unitatis positio quae non possunt in re dici duo pro eo quod unitas non est unum, sed est id quo formaliter aliquid dicitur unum. Et ergo unitas non potest esse extremum fundamentum dualitatis, sed requiritur res cui competit vere esse unum. Apparentia ergo processus in infinitum consurgit ex hoc quod intellectus apprehendit unitatem per modum unius et sic procedit in infinitum. Et sic negotiando bene posset procedere quantum vellet, licet in re nullus esset talis processus.

665     **66.** Sed oritur dubium: ex hoc appareat quod divina essentia in se haberet aliquod acidens distinctum ab ea, videlicet unitatem illam, quod videtur erroneum. Hic dico quod divina essentia ratione suae immensitatis et immensae simplicitatis est sua unitas, pro eo et est

---

**650** Sed arguebatur] Cf. supra n. 15. **668** Boethius] BOETHII, *De unitate et uno*, ???

extra omne genus, et ideo proprie nec quantitas continua nec discreta habent locum ibidem; et ideo instantia parum valet.

**67.** Verumtamen posset dici quod ex ipsis sequitur una mirabilis conclusio, videlicet quod aliqua sunt quae nec sunt unum nec duo. Patet de angelo et unitate. Dico secundum mentem opinantium quod si fiat comparatio in re apud eos, non esset inconveniens. Verumtamen intellectus ipsa concepit ut duo. Nec est mirum. Nam sicut si quaeram, significando subiectum et albedinem: vel sunt duo alba vel unum album, leviter diceretur quod non sunt duo alba nec unum album, licet subiectum sit unum album mediante albedine, et hoc loquendo de uno, non per modum aggregationis. Sic etiam angelus et unitas sua sunt unum. 685

**68.** Unde universaliter, sicut dicentes Ochanistae de concretis et abstractis quibus correspondent diversa significata ex parte rei, ita per omnia dicentes isti in proposito. Posset tamen et aliter dici secundum istos, quod licet inter unitatem et unum non sit realis distinctio, est tamen formalis. Et ideo non oportet quod sit talis realis plurium rerum positio, quamvis sit formalis, quae si poneretur infinita discreta, nullum est inconveniens. 695 700

**<Argumenta contra tertiam conclusionem>**

**69.** Tertio arguebatur contra fundamentum tertiae conclusionis ostendendo quod relatio non erat nisi ex opere intellectus, et hoc multipliciter. Primo, quia posito uno continuo essent infinitae proportiones reales quia totius ad suam medietatem, et sic in infinitum. 705

**70.** Secundo, quia<sup>c</sup> tunc positis duobus eiusdem speciei, illa essent idem, et per consequens cum identitates sint relationes distinctae a suis fundamentis, tunc consimiliter illae essent idem, et sic esset in infinitum processus, quod videtur impossibile. 710

**71.** Tertio, quia non est ponenda res cui non est assignanda ratio effectiva si non sit primum ens simpliciter et relationi non potest assignari, quia tunc agens naturale posset agere per distantiam infinitam, quia generato uno albo Parisius, mox foret simile cuicunque albo qualitercumque a primo albo distante. 715

**72.** Quarto, quia relationes quae dicuntur fundari super agere et pati non videntur reales, cum Dei ad creaturam nulla sit talis, cum ipse tamen habeat perfectiorem actionem quam quocumque agens naturale. Et per consequens quam ibi non est realis relatio, tam et in nulla actione creaturae. 720

---

**704** multipliciter] quia add. sed del. C

---

**702** tertiae conclusionis] Cf. supra n. 16-18.

**73.** Quinto, quia nihil potest poni sine illo quod est de sua ratione formalis; sed alicuius relationis terminus est non-ens, ut patet de relatione quae est scientiae ad scibile quod non existit. Si ergo relatio poneretur, oportet quod scibile poneretur, quod tamen falsum est.  
725

**74.** Sexto et ultimo, quia ratio relationis in communi videtur repugnare rationi entis in communi, cum ratio entis in communi sit formaliter absoluta, et per consequens relatio non est ens; quod est propositum.

730

## &lt;Responsio ad istas rationes&gt;

**75.** Ad istas rationes respondeo. Pro quarum responsione praemitto unum iuxta imaginationem Doctoris Subtilis, II<sup>o</sup> *Sententiarum* distinctione 1, quaestione 5, quod universaliter quando fundamentum potest esse sine certa relatione et esse cum ea, semper inter fundamentum et relationem est realis distinctio, quoniam ut ipse dicit, nullum alium est medium ad probandum unam rem ... . . . . . existente alio, quod si negaretur pariter ... via certificandi nos de distinctionibus rerum. Quando autem impossibile est fundamentum esse nisi sibi talis relatio conveniat, semper inter fundamentum et relationem est realis identitas, licet sit formalis distinctio. Ut, verbi gratia, impossibile est creaturam esse quin sit dependens. Et ideo non oportet quaerere distinctionem inter dependentiam creaturae et ipsam creaturam, aliter esset rerum infinitas sine necessitate. Ubi ergo via contradictionis cogit ponenda esse rerum pluralitas, ubi vero non, nullatenus est faciendum. Et per hoc apparent quod creaturae ad Deum non est relatio realis a fundamento distincta.  
735  
740  
745

## &lt;Ad argumenta supra dicta&gt;

**76.** Per hoc igitur ad argumenta. Ad primum dico quod si stat ipsas partes esse et non habere huiusmodi proportionem, nullum esset inconveniens ibi infinitatem talium relationum concedere, sicut nec est aliquod inconveniens infinitas partes proportionales esse. Si vero non staret, non oporteret multiplicare tales relationes. Sed utrum sic sit vel non, leve est inspicere volenti cognoscere.  
750

---

748 Ad primum] *mg. C*

732 Doctoris Subtilis] IOANNIS DUNS SCOTI, *Lectura*, II, d. 1, q. 4-5, n. 184-203 (ed. Vaticana XVIII, 61-67); eiusdem, *Ordinatio*, II, d. 1, q. 4-5, n. 200-222 (ed. Vaticana VII, 101-110). 748 Ad primum] Cf. supra n. 69.

**77.** Ad secundum patet per idem.

**78.** Ad tertium cum dicitur quod non est ponenda res cui non est assignanda causa effectiva si non sit prima, sit ita in nomine domini. Et cum dicitur quod non sic est de relatione, nego istud. Pro quo est advertendum quod aliqua causari potest esse dupliciter, videlicet primo et immediate, alia concomitante et per modum cuiusdam necessariae sequaelae. Dico igitur quod licet relatio non posset produci primo et per se, sicut intendit etiam Aristoteles, *V Physicorum*, tamen secundo modo sic.

**79.** Et si DICATUR quod Deus potest supplere causalitatem effectivam et per consequens facere relationem sine fundamento, quod superioribus repugnat, hic DICO quod dependentia quam habet relatio ad suum fundamentum, non solum est effectiva sed est etiam coexigentiae, – nescio pro nunc ipsam aliter nominare – hanc tamen imaginari oportet secundum sic opinantes, et quamvis Deus posset primam supplere, non tamen secundam, quia per talem dependentiam fundamentum et terminus cadunt in ratione relationis.

**80.** Ad quartum cum dicitur quod in actione Dei non fundatur ad extra realis relatio, ergo a fortiori nec in actione creaturae, hic dico quod consequentia non valet. Et ratio est duplex: prima, quia in Deo nihil reale potest habere noviter esse, sed hoc potest in creatura. Secunda ratio est, quia in creatura, cum agit, est alicuius absoluti positio ex quo consurgit; in Deo non. Et ista ratio est magis propria, quoniam rationis positio requirit positionem novi extremi, et hoc dico respectu agentis cum agit, quia creata agentia non agunt per suas substantias praecise et immediate, et ideo similitudo claudicat.

**81.** Ad quintum cum dicitur de scibili et scientia, patet quod non est ad propositum, quia ibi non est relatio realis sed potius rationis. Unde relatio realis semper . . . . . relatio vero rationis non; et ideo argumentum parum concludit.

**82.** Ad ultimum cum dicitur quod ratio entis et ratio relationis sunt ad invicem repugnantes, hic dico quod ratio entis, prout sumitur transcendenter, abstrahit tam a condicione absoluti quam relativi, quam actualiter, quam possibiliter existentis. Unde ens sui divisione primaria dividitur in ens in actu et in ens in potentia, et consequenter ens in actu in decem praedicamenta; et ratio praedicamentalis ulterius dividitur in absolutiva et respectiva; absoluta vero in tria genera, et respectiva in septem. Et sic appareat quod ratio entis, prout sumitur transcendenter, abstrahit ab istis condicionibus, et ideo non repugnat

---

**754** Ad secundum] Cf. supra n. 70 **755** Ad tertium] Cf. supra n. 71. **761** Aristoteles] Cf. ARIST., *Physica*, V, c. 2 (AL VII-1, 198; E, c. 2; 226a 24-25). **771** Ad quartum] Cf. supra n. 72. **780** Ad quintum] Cf. supra n. 73. **784** Ad ultimum] Cf. supra n. 74.

rationi relationis. Et ex hoc apparet quod ens transcenderetur sumptum, nec est absolutum nec respectivum.

795

**<Art. 2: Responsio brevis ad quaesitum>**

83. Sic igitur apparet imaginatio antiquorum doctorum. Si vultis esse liberales, ista opinio nobis porrigit multitudinem copiosam. Si vero avari, praecedens opinio nobis offert pauca et nimis scrupulosa. Utraque opinio est multorum venerabilium magistrorum. Et in hoc  
800 secundus articulus terminatur.

---

796 Sic igitur] Cf. supra n. 1.